



Q. D. B. V.



Qui rerum antiquarum Romanarum cognitionem in iuris prudentia postulant, ii praeter cetera et eo argumen-
to vti solent, quod, cum iurisprudentia, qua hodie
vtimur, maximam partem ab illa gente descendat, ei
tantum Romani adhaereat, ipsaque cum veteri iuris
scientia ita conueniat, vt sine huius perfecta notitia hodierni iuris
forma satis intelligi non possit. Quod quanquam non solum probabile,
sed verum etiam et certum est, tamen nobis videtur et
aliud pro huius scientiae vtilitate, necessitateque momentum, et
a contrario quidem, peti posse. Constat enim, iurisprudentiae
hodiernae non solum plurimas particulas ex veteri iure Germani-
co, et Canonico adsutas, sed multa etiam antiqua iuris ciuilis ca-
pita per innumeratas recentiores leges, quid? per tam longam quo-
que haut paucorum seculorum consuetudinem, mutata, et cum
ipsa rei publicae facie sensim transformata, et ita fere noua facta
esse, vt antiquitatis pene nihil praeter nomen remanserit. Hanc
ipsam vero ob causam sciendum est, et bene tenendum, quae
fuerint antiqua tempora, et quid inter vtraque discriminis

A

inter-



intercedat, ne, obsoleta ad recens inuenta applicando, quadrata cum rotundis miscere videamur. Exemplum praebebit res iudicaria. Etenim etsi, cum ius ciuale in Germania recipere retur, non dubium est, quin simul ex antiquo foro multa in Germaniae iudicia peruerterint, tamen haud exigua etiam ex iure Canonico admixta, multo vero plura per diuturnam consuetudinem inuersa, pleraque tandem nouis subinde latis legibus aliter sancta sunt, ut, quamquam seruatis plerisque nominibus, ipsa tamen hodiernorum iudiciorum forma, vti neminem latet, a veteri antiqua Romana toto coelo distet. Vnde, si quis ea, quae de antiquis praetoribus, iudicibus, in ius vocatione, actionis editione, fententiae latione, reliquis, in Iure ciuali sancta sunt, et nonnisi ex antiqua harum rerum natura intelligi queunt, ad hodierna iudicia applicare velit, nae is rem peruersam acturus sit. Sed quomodo de his, quae ex iure ciuali hodie adhuc adhiberi queunt, iudicare possumus, nisi rerum antiquarum formam, et ea, quae legibus istis occasionem et causam dederunt, exacte sciamus? Alias profecto in tenebris errabimus, et ea, quae antiquae tantum rationi conueniunt, ab his, quae et nunc usui esse possunt, discernere prohibemur. Hec nobis magnam vim habere videntur in doctrina de litis contestatione, cuius etsi nomen, originem e foro Romano dicens, nunc quoque seruat, res ipsa tamen admodum diuersa est. Quapropter ii maximopere errare videntur, qui, aut ipsi decepti, aut aliquam juris ciuilis peritiam ostendere conati, quicquid in eo de litis contestatione obiter forte legerunt, ea in orandis causis ubique euomunt, et nostris iudiciis, omni quamquam eorum forma et natura repugnante, quasi inuitis obtrudunt. Cui rei, vt, quantum fieri potest, obuiam eatur, constituimus, de litis contestatione, qualis iure veteri fuit, quaedam dicere, ostendereque, quantum ab hodierna distet, et quid itaque sit, quod de illa sanctum, ad hanc applicari vel non applicari possit.

SECTIO I.